Schenai Andreas: Panegyricus ad Ill. et Rev. D. D. Bernardum Maciejowski etc.

PANEGYRICVS

AD ILLVSTRISS^m ET R^DISS^m DOMINVM,
D. BERNARDVM MACIEIOWSKI,
S.R.E. CARDINALEM, EPISCOPVM CRA-
couienſem, Ducem Seuerien: &c.
Mœcenatem ampliſsimum.

ANDREÆ SCHONEI,
S. Theologiæ In Academia Craccuienſi Profeſſoris.

CRACOVIÆ
In Officina Lazari. Anno Domini,
1604.



P Vrpureum tribuit tibi Summus Præsul honorem,
Fecit & excelsis Regibus esse parem.
Non tamen hic sublimis apex, mage te ornat, vt ipsum
Tu contra illustras dotibus eximiis.
Exuperat titulos, pietas, prudentia, virtus,
Digna nec in terris præmia repperient.

A. S.

PANEGYRICVS

ANDREAE SCHONEI.

ILLVSTRISS° AC R̸DISS°
D. BERnardo MAcieiowski,
S.R.E. CARDINALI, EPI: CRAC: D. D.

IN summa omnium lætitia, interq; tot gratulantium faustasatq; iucũdas voces, & ego, Cardinalis Amplissime, ex mediis Academiæ spatiis accurro; vt amplissimum hunc, & primo proximum honorem, coràm voce, vultu, oculis tibi gratuler, gloriosæq; purpuræ tuæ, vel imam laciniam attingere & deosculari mihi liceat. Si enim & ij, qui in extremis Italiæ atq; Hispaniæ oris vitam agunt, & ad quos sola nominis tui fama peruenit, optatissimo hoc nuncio accepto, effusis certatim studiis, dignitati tuæ applauserunt, grauissimumq; Pontificis maximi iudicium, maxima animorũ consensione atq; alacritate cõprobarunt: quæ mea mens, qui sensus, qui iucundus animi motus esse debuit, cui præstantissimas tuas virtutes propiùs intueri, exploratiùs cognoscere, & impensiùs venerari cõcessum fuit. Et cùm beneficiorũ, quæ merentibus tribuuntur, gaudium, non magis ad ipsos,

quàm ad omnes bonos, verosq; rerum æſtimatores perueniat, tum in eos potiſsimum redundet, qui humanitatis & beneuolentiæ officiis ſunt obligati; quî ego aut geſtientis animi lætitiam cohibere potui, aut exultantem pectoris affectum palàm oſtendere non debui. Nam tu, vt vidiſti me, amaſti, ac continenter tot annos eximia humanitate complexum, nuper etiam Gymnicorum ludorum præfectũ, quem noſtri Vicecancellarium dicunt, tuo loco & nomine, in Lycæo Cracouienſi me conſtituendum duxiſti. Quod arduum atq; grauiſsimum munus, & ſi aliis mei ordinis hominibus, qui ingenio, authoritate, naturæ fortunæq; bonis me antecellunt; rectiùs fortè committi potuiſſet, mihi nihilominus abſtinenti, & omnis ambitionis incurioſo delatum eſſe, non potuit non accidere gratiſsimum, eaq; re ſingularis tuus in me amor, omni ex parte luculentiſsimè ſeſe oſtendit. Sed faceſſant priuata voluntatum ſtudia, valeant mutua inter patronum & clientem officia, nec domeſtica voluptas aliquid de cõmunis lætitiæ ſuauitate decerpat, proinde mei quaſi oblitus, in pulcherrimarum rerum, quæ te ſummis quibusq; honoribus iam olim digniſsimũ reddiderunt, parca & verecunda commemoratione, omnẽ orationem conſumam. Iuuat ergò per laudum tuarum ſpatia atq; veſtigia, tanquam per viridicata prata fron-

ta, frondoſa nemora, vernantesq; hortos, læto paſſu incedere;ac ſumma omnis gloriæ atq; dignitatis capita perſtringendo, ad decus, ad honeſtatem, tuarumq́; virtutum imitationem animos accendere & excitare. Sed quemadmodum, qui pura nocte cælum magnitudine immenſum, ordinata varietate conſtantiſsimum, ornatu atq; ſiderum luminibus pulcherrimum contemplantur, dum hanc ſtellam nitentem admirantur, aliam mox nitidiorem ſuſpiciunt; & in hanc dum aciem oculorum defigunt, aliæ atq; aliȩ lucidiores hinc inde, oculis eorũ oboriuntur: ita dum pulcherrima tua animi, naturæ, aliaq́; decora atq; ornamenta intueor, ſuſpenſo animo,ancipitiq́; iudicio,hæc illis,illa his excellere videntur, vniuſq́; claritas alterius ſplendore obruitur & obfuſcatur. Illuſtris eſt generis tui amplitudo atque dignitas: at longè illuſtrior exacta prudentia, maturo iudicio, maximoq́; rerum vſu atq; tractatione comitata. ſed cum his certant viciſsim, ſingularis animi moderatio, naturæ facilitas, munificentia, quæ omnia a Religione, pietate, vitæ integritate, morumq́; grauitate vincuntur, exornantur, perficiuntur. Rarus eſt, qui omnium virtutum choro comitatus eſt, cuius egregiæ animi dotes non aliquo vitiorum confinio læderentur. Eniteſcit aliquis in bello, ſed in pace obſoleſcit, alium toga, ſed non & arma

arma cohoneſtarunt; multos claros foris, domeſtica deturpauit infamia. Ita vbiq; mala ſunt vicina bonis,in iisq; etiam,qui in optimis numerantur,multa artificio declinanda ſunt, quæ offendant. Tu verò, macte ea laude, omnes dignitatis atq; gloriæ partes atq; numeros complexus es; ita omnibus, animi,naturæ, fortunæq; bonis abundè ornatus es; vt ad eorum cumulũ vix aliqua poſsit fieri acceſsio: & quid iure merito reprehendi poſsit, ne inuidus quidem atq; curioſus centum oculis Argi peruideret. Nihilq; tibi ad laudem amplius, ad nominis immortalitatem illuſtrius, quàm te penitùs perſpici, tuaq; quæ limine tenes, intraq; intimos recludis receſſu,in publicum proferri,ab omnibuſq; cognoſci.

Atq; non multùm in vetuſtiſsimæ tuæ gentis nobilitate commemoranda mea exultabit oratio, non aſſentatoriè Vitelliorum & Macieiouiorum egregia facta conſectabor; cùm & hæc fideliſsimis annalium monumentis ſint prodita, & tu propriæ quàm alienæ famæ incumbere ſemper maluiſti. Namq; alii ex maioribus tuis, laudis patriæq; amore incenſi, vitæ luciſq; prodigi, fortia bella geſſerunt, ordines duxêre, ſignis conflixêre, pugnas reſtituere, hoſtium impetus retuderunt, copias profligarunt, acies perruperunt, à Ciuiumq; iugulis acinaces,mucrones, à pectoribus tela atq; ſagittas, à capitibus

ſerui-

ſeruitutem atq; ignominiam depulerunt: alii togæ artibus clari, authoritate & prudentia Reipublicæ dignitatem auxerunt, conſtantia & pietate Religionem Eccleſiæq; libertatem defēderunt. Quis Roberto vitæ innocentia, morum grauitate, dicendi facultate præſtantior fuit? qui tempore Mieciſlai, primi apud Polonos Chriſtianorum ſacris initiati Principis, Archiepiſcopum Gneſnenſem egit, herbeſcentemq; Fidei ſegetem, ac prima Religionis incunabula, mira ſedulitate fouit, nutriuit, propagauit. Non commemoro alios duos è veſtra oriundos ſtirpe, Archiepiſcopos, quorum in principem illam Eccleſiam, liberalitatis atq; pietatis monumēta extant plurima. Mitto Andream Epiſcopum Plocenſem, Staniſlaum Poſnanienſem Antiſtitem; quorum ille omni genere doctrinæ liberalis excultus, inq; Eccleſiæ iniuriis vindicādis inuicto animo fuit; hic in prouidēdo ſagax, in tractandis negociis induſtrius, omnium Vladiſlai Iagellonis conſiliorum particeps atq; moderator, ſupremus Cancellarius audiit. Quis Samuelem Macieiouium, Epiſcopum Cracouienſem, ingenio, authoritate, Regum gratia, ſtudiis hominum, effuſaq; liberalitate ſuperauit? quis Nicolao Palatino Lublinenſi, Staniſlao Caſtellano Sandomirienſi, pietate in Deum, charitate in patriam, ergaq; omnes propenſa voluntate,

par

par & æqualis fuit. Hac inclyta stirpe prognatus, tot auos, atauosq; illustres longa serie numerans, nunquã sublimes titulos, fumosasq; imagines, inuidiosasq; opes iactantiùs ostẽtasti: nõ in iis omne decus præsidiumq; collocasti; sed iis quasi quibusdam calcaribus ad domesticarum virtutum imitationẽ te excitando, quod alii ex alienis sibi arrogãt meritis, id tu ex propriis factis tibi concedi voluisti, nihilq; pulcrum & iucundum arbitratus es, in quo comparando, non diu multumq; sudasses. Nobilitas germana stirpe virtutis nititur: ac tam diu manet ac floret, donec in ea succus honestatis viguerit; quo arescente, & ipsa marcescit. Vt enim ager, quò feracior atq; pinguior est, eò horridior, atq; deterior efficitur, si cultura non adhibeatur; ita quò nobilior parentum sanguis, & quò magis generosa ingenia, si non disciplina infrænentur, & optimarum artium studiis excolantur, procliuiùs & maiori impetu in omne genus scelerum & flagitiorum ruunt atq; prolabuntur. Quamobrem, vtprimùm lubricam & incertã adolescentiæ viam ingressus es, durum pariter, ac rigidum virtutis iter triuisti, in patientia animi & corporis te exercuisti, eaq; literarum præsidia tibi comparasti, quibus & consilio te regere, & statum mentis tueri, omnemq; cupiditatis immoderationem coercere posses. Et cùm acri & acuto ingenio

eſſes præditus, quod ſe ſine doctrina etiam tueri poſſet; eam tamen in cognitione veritatis, diſciplinarumq́; perceptione diligentiam adhibuiſti, quæ etiam tardiſsimam naturã excitare poſſet; ita omnia celeriter arripuiſti, mente comprehendiſti, memoria ſepſiſti, ac ſi cuncta reminiſcentia quadam recognoſceres, nihilq́; haberes diſcendum tempore docendi. Et quia hominem non modò ad intelligendum, ſed & ad agendum natum ſcires, tibiq́; aliquando in maiorum tuorum veſtigiis ſtandum, inq́; Reipublicæ luce verſandum præſentires; ita orbem omnium artium fœliciter confeciſti; vt ex ſingulis tantum ſumeres, quantum ad egregiæ virtutis vſum, publicamq́; vtilitatẽ ſatis ſuperq́; eſſet. Quid enim eſt aliud ſcientiã ſciẽdi tãtùm quærere, quàm nummis ad numerandum duntaxat abundare? & quid aliud eſt, omnes diſciplinarum minutias atq; ſubtilitates curioſè conſectari, quàm cancris veſci, in quorum cruſtis vellicandis, paruo operæpretio, plurimùm occupari ſolemus? Tu ſcientiarum modum vtilitate terminaſti, easq́; tum ad aciem mentis illuſtrandam, tùm ad vitæ conſuetudinem accommodaſti & retuliſti; vt non modò de rebus rectè & prudenter iudicares, ſed & quæ benè ſtatuiſſes, feliciter exequerere. Et quia ſapientiæ atq; virtutis diſſidium & diuortium nullo modo ferendum eſt,

nullaq́; funeſtior rebus communibus peſtis adferri poteſt, quàm ſcelere & malitia armata literatura; tu, à teneris, vt aiunt, vnguiculis, vtrumq; pulcherrimo ſocietatis vinculo coniunxiſti, atq; in vtroq; excellere, glorioſum duxiſti. Nihil leue & ludicrum ob grauitatem, nihil molle & flagitioſum ob induſtriam, nihil tumidum & inflatum ob modeſtiam expetiiſti: nihil timidè & diffidenter, nihil præpoſterè & negligenter, nihil temerè & impotenter egiſti; ſed in omnibus dictis & factis, modum & ordinem, decorum atq; conſtantiam tenuiſti. Omnia blandimenta & lenocinia naturæ auerſatus es, omnem luxuriam & intemperantiam fugiſti, omnem impuritatem atq; turpitudinem exhorruiſti; teq́; à ſenſuum conſuetudine auocans, & à corpore ad animum reuocans, ſummam voluptatem in immanium voluptatum fuga, atq; modeſtiæ & pudoris concinnitate conſtituiſti. Quid loquar de pietate, quæ vt eſt omnium virtutum fons & origo, canon & regula, à qua illa vitam & ſpiritum accipiunt, ita eam aſsidua cura, diligentia, ſtudio coluiſti, in ea te exercuiſti, vt ab eius præſcripto ne latum quidem vnguem diſcederes. Summa religione cæleſte numen venerabare, ardentiſsima fide eius præſidium implorabas, tota mente mentem & voluntatem eius conſulebas, incredibiliq́; voluptate, in ſuauiſsimo illius collo-

colloquio atq; familiaritate conquiescebas. Nemo sapiens, qui Deum non colit: sapientia vera, tum in Dei pura & liquida cognitione, tum in sanctisimo eius cultu continetur. Vt enim Deus est architectus & molitor omnium rerum; ita lumen, ratio, veritas, qua omnia cognoscuntur. ille est, qui densas errorum tenebtas disipat, cælestibus instruit disciplinis, mentemq; veræ sapientiæ radiis illustrat. Quæ pietas tecum ab adolescentia creuit, adoleuit, maturuit, teq; vbiq; comitata est, tuarumq; omniũ actionũ dux, magistra,& moderatrix fuit, siue in aula Regum ageres, siue castra militiamq; sequerere, siue aliud negocium publicum, priuatum ageres. Qua virtute tanquam firmisimo Clypeo munitus, nunquam ad hostis vultum expalluisti, nunquam trepidasti, animo concidisti nunquam, pedem retulisti nunquam, sed victricia Poloniæ signa inconcussa manu tenuisti, & in hostem fortiter intulisti. Et quoniam vera pietas nunquã cessat, nunquam ociatur, sed nunc contemplationis quasi quibusdam alis in altum subuecta, Deum quoad fas est, intuetur, adorat, prædicat: nunc charitatis officia exercet, solatur afflictos; fert opem miseris, docet ignaros, dirigit errãtes, corrigit delinquentes: nunc contra hostes Ecclesiæ certamen init, dimicationem suscipit, ac doctrinam cælitùs traditam animosè tuetur atq;

propagat: omnia hæc munera tu diligentiſsimè executus es: neq; ſolùm mentis agitatione, oriſq; præconio, ſed & eximiis factis & rebus, animi tui erga Deum, ſanctiſsimamq; religionem, ſtudium, & deuotionem declaraſti. Nam patrimonium à maioribus tibi relictum, opima prædia & oppida, optimo conſilio, diuina vi excitatus, patribus Societatis Ieſu, perpetuo iure addixiſti, inſcripſiſti, donaſti; vt in illo Rusſiæ & Lithuaniæ confinio, contra Hæreticorum & Schiſmaticorum caſtra atq; acies, quaſi quædam cohortes prætorianæ excubarēt. Quorum conatus, mirè fœcunda gratia Deus adiuuat, auget, fortunat, eorumq; opera multos à vitiis ad honeſtatem, à tenebris ad lucem, ab errore in viā reductos videmus & gaudemus. Quicquid ergò illi de Eccleſia Dei, de genere mortalium, bene merentur; id tibi magna ex parte acceptum ferunt, teq; in partem ac communionem meritorum libentiſsimè accipiunt. Macti viri Apoſtolici, cœptum opus gnauiter vrgete, nec inuidiæ, nec calumniis, neq; laboribus atq; periculis cedite; ſed contra audentiores itote: ille, qui vos ſub tropheis filii ſui vnigeniti cōgregauit, vobis ſemper aderit, cæleſti virtute corroborabit, ac in ſumma rerum confuſione atq; perturbatione tuebitur. Rarum eſt ſua dimittere, cùm multi vt aliena conſequantur, quid non faciāt? durum eſt

rum eſt auitis ſeſe poſſeſsionibus exuere, cùm perſonæ dignitas etiam plura requirat; ſed longè grauius eſt & admirabilius, ſe relinquere, ac quodammodo ſeipſum ſeipſo exuere. Nam ætate integra, quæ valida viribus, exercita laboribus, matura rebus gerẽdis, nullum non negocium conficere, nullum non munus ſuſtinere poſſet, cùm gratia Regum floreres, cùm Regni Præfecturas teneres, cùm tot emerita tàm militiæ, quàm palatii ſtipendia haberes, diuina virtute confirmatus, pro fluxis & caducis, æterna atq; cæleſtia expetiiſti, ac lubens volenſq; ad vexillum Chriſti euolaſti. Et vt maiora haberes piè & ſanctè viuendi incitamenta, Romam, quæ te & viuis & mutis exemplis ad ſanctimoniam accendere poſſet, longinquo & aſpero itinere profectus es. Quò cum veniſſes, non Romam illam veterem, omnium ſuperſtitionum ſentinam, atq; impiorum numinum Regiam, in ſuo cadauere atq; ſepulchro iacentem quæſiuiſti: non cælo certantia opera, amphiteatra, thermas, palatia, pyramidas, arcus triumphales, coloſſos, ſtatuas, aërio pendentes fornice riuos, aliaſq; inſanas ſubſtructiones admiratus; ſed in nouam Romam, arcem Religionis noſtræ, ſacrarium omnis ſanctitatis, totq; Martyrum ſanguine ac glorioſis trophæis illuſtratam oculos, omnemq; animum cõuertiſti. Sæpè ſeptem illas religioſiſsimas

basilias, sine vehiculo, summis caloribus frequentasti: sæpè ad limina Apostolorum procubuisti, postes deosculatus: sæpè præsepi domini affusus, bis genitum Regem adorasti: toties Lauacrum Constantini adijsti, ac sacrosanctam illam, dæmonumq; expultricem, imaginem Redemtoris nostri veneratus es: toties profundas illas, ac religionis pio horrore plenas criptas atq; catacumbas, tot Pontificum atq; Martyrum quondam latibula, ac veneranda sepulcra, subijsti, atq; lachrymarum largo imbre perfudisti: præterea tota vrbe monumēta atq; relliquias sanctorum perquirendo, sacris cineribus, fauillis, ossibus, osculum figebas, oculisq; oriq; admouebas: tu deniq; modestiam & grauitatem Romanam, seueram Cænobiorū disciplinam, amplissimas Xenodochiorum opes, atq; incredibilia omnis charitatis officia admirabare. Tandem satis probatus, atq; spectatus, per omnes Ecclesiastici ministerij gradus, ritè & sanctè progressus, venerabili sacerdotio ibidem initiatus atq; inauguratus es. Mirabile & iucundum erat videre, Macieiouium, qui in cohorte Regis primicerius fuerat, abiecto militari baltheo, militiæ Christi nomina dedisse, in ordine sacerdotum ministrare, vnum ex Canonicis Cracouiensibus esse, religiosè rem diuinam facere, precationum pensum Deo fideliter reddere, cum Socolo-

uio, Reſcio, Scarga, Dobrocieſcio, & aliis piis viris aſsiduè conuerſari, in æde Mariæ Magdalenæ ſacris exhortationibus & declamationibus intereſſe, obire monaſteria, luſtrare hoſpitalia, deniq; vultu, geſtu, inceſſu, ſanctimoniam præſeferre. Sed non diu hic gradus & locus tantum ingenium continere valuit, nequiuit his anguſtiis tam excelſa cöarctari virtus: maiorem campum, in quo excurreret, amplius theatrum, in quo ſpectaretur, requirebat. Itaq; ſimulatq; poſt procellas atq; tempeſtates Interregni periculoſiſsimi, Sigiſmundus Rex, ſuperatis Oceani fluctibus in Poloniam appulit, atq; ab ampliſſimo viro Staniſlao Karncouio Archiepiſcopo Gneſnenſi ſacro oleo delibutus, Regioq; diademate inſignitus, habenas Sarmatiæ moderari cœpit, incredibili tuarũ virtutum amore & admiratione captus, te primo quoq; tempore, in principe aliquo dignitatis gradu collocare ſtatuit. Et cùm interea Epiſcopus Luceoriẽſis è viuis exceſſerat, te ei ſucceſſorem ſubitò & magna animi lætitia deſignauit: eâq; Sereniſsimi Regis voluntatem Sixtus V. altiſsimæ mentis Pontifex, ratam habuit, ac libentiſsimè comprobauit. Et quoniam hic apud nos, laudatiſsimo & ſanctiſsimo maiorum inſtituto, Epiſcopi, non modò Religionis, ſacrorum atq; ceræmoniarum præſides ſunt; ſed & publici conſilij moderatores, primumq;

mumq; in Senatu locum teneant; tu ſubitò omnes veri & perfecti Epiſcopi, atq; Senatoris partes, cura & cogitatione complexus, vna manu Eccleſiam, altera Rempublicam tractare cæpiſti; ac ſedulò prouidere, ne quid Religio & communis vtilitas detrimenti patiatur; ſed omnia ſalua, tuta, atq; ſartatecta conſeruẽtur. Cumq; præclaris tuis actionibus eam de te animis omnium opinionem inſeruiſſes, nihil eſſe tam arduum & difficile, quod tibi non ſit leue & expeditum, nullamq; rem tam grauem atq; dubiam, quam non ingenio ſuſtinere conſilio tueri, virtute conficere poſſes; ſubinde alia ſuper alia negocia tibi commiſſa, ac Regis & Reipublicæ nomine ſumtuoſas atq; laborioſas legationes ſuſcipere coactus es. Ac primùm ad altiſsimi ſanguinis Principem conſolandi gratia miſſus es, cuius & ſi æquum & infractum in omni euentu & fortuna animũ, nulla vis aut calamitas labefactare ac percellere poſſet; tua tamen oratione mirificè recreatus, omnia moderatiùs ferre cœpit. Deinde more maiorum, atq; adeò omnium gentium, quæ Religione Chriſtiana cenſentur, aliquis è proceribus Regni, conſilio prouidens, virtute integer, authoritate venerabilis, religione ſanctus, ad Sedem Apoſtolicam, cæli vicariam, mittendus fuerat, qui nomine noui Regis, qui cum lacte materno, in gremio matris Iagellonicæ Religio-

nem Catholicam hauſerat, eamq; inter medias procellas hæreſum, illibatam atq; integram, ſemper cuſtodiſſet, obedientiam præſtaret atq; profiteretur; tu tanquam ſolus fores, ad eam rem cum dignitate conficiendã maximè aptus & idoneus, omnibus viſus es. Quam grauiſsimam legationem ita geſsiſti, vt feſtinam celeritatem in itinere conficiendo adhibueris, ſplendido comitatu, ingentiq; hominum exterorum tibi obuiam effuſa multitudine vrbem ingreſſus ſis, ſummi & clariſsimi quiq; viri te aſsiduè conuenerint, domum deduxerint, reduxerint, ſumma fide & prudentia mandata Regis expoſueris; incredibili dicendi copia atq; grauitate auguſtiſsimum illum Senatum tenueris, deniq; ſpectata probitate & integritate, Sixti quinti: at quis, & quantus Pontifex? & in te propenſum animum conuerteris, & egregiam animi voluntatem erga Regem vniuerſamq; Poloniam excitaris, atq; inflammaris. Sed breui pòſt tempore, Sixto quinto vita functo, iterũ gratulationis atq; obedientiæ legatione ad Gregorium decimum quartum, functus es, eandemq; prudentiæ, induſtriæ atq; integritatis laudem retuliſti, ingenſq; tui deſiderium diſcedẽs reliquiſti: & ſi, quæ tua eſt animi moderatio, in priuatam laudem atq; gloriã deriuatũ velles nihil; ſed omnia ad honorem & ſplendorem chariſsimæ patriæ tuæ referres atq;

conuerteres. Te reducem Reſpublica complexa, pro re bene geſta immortales gratias egit, certiſq; præiudiciis ac præſagiis tibi ſumma quæq; augurata, atq; ſpopondit. Tu verò vix pulucrem ex itinere collectum excuſſeras, ac ſpiritum recollegeras, ſubitò magna feſtinatione atq; celeritate, ad tuam Epiſcopam Luceorienſem contendiſti: atq; in cuſtodia & ſtatione conſtitutus, boni paſtoris perfectam formam atq; imaginem vita & moribus, ſtudijs & officijs expreſsiſti, repræſentaſti. Tu oues cæleſti precio redemptas cōtra ſilueſtres feras, quæ ad caulas gregis ſacri aſsiduè fremunt, aditumq; rimantur vndiq;, ſana doctrina obarmaſti: tu eas in pratis ſaluberrimis, & omnium virtutum floribus vernantibus pauiſti, ac ne mala vicini pecoris contagia lædant, prouidiſti: tu palantes requirebas, dilapſas colligebas, lapſas erigebas, ægras fouebas, debiles fulciebas, torpentes excitabas, exanimatas recreabas. Tu ſumma grauitate atq; lætitia Epiſcopos toties inaugurabas, Presbyteros conſecrabas, nouos Tyrones baltheo militiæ ſacræ aſtringebas, & in vineam Domini vndiq; nouos operarios cōgregabas. Tu templa collapſa in integrum reſtituiſti, neglecta & ſqualore obſita in nitorem dediſti: nuda & egena & omnis generis ſupellectilli, & nouis cenſibus & penſionibus, ornaſti, auxiſti, locupletaſti. Quid autem ad

tem ad poſteritatis memoriam prædicabilius, & ad gratiam Dei conſequendam efficacius; quòd, cùm tua Diœceſis plena eſſet ſchiſmaticis, qui ſe à corpore Eccleſiæ Romanæ abſciderunt, ac neſcio quos nouos Petros in Græcia & Tracia nequicquã quærunt, ex vrbe Roma, viros eruditos, & linguæ Græcæ peritiſsimos accicueris, qui cum pertinaci illa gente ex æquo pedem conferant, paribus armis congrediantur, ad dulciſsimumq́; matris ſinum atq; gremium reducant. Quòd quàm feliciter ceſſerit, vel illud argumento eſſe poteſt, quòd Antiſtites ſacrorum Ruſsiæ, breui pòſt tempore, diuinæ lucis radiis illuſtrati, pertæſi ſuæ rebellionis, Romam profecti ſint, atq; abiurata omni contumacia, Romani Pontificis pedibus oſculum fixerint; ſeq́; eius poteſtati, authoritati permiſerint, ſemperq́; illius dicto audientes, fore venerabundi publicè & palam profeſsi ſint. Quos tu non modò, conſilio, opera, ſed & non exigua pecunia, equis, aliisq́; rebus neceſſariis, iuuiſti, ſubleuaſti; vt eò alacriùs & fidentiùs iter inſtitutum ingrederentur. Sed cùm tu Luceoriam tuã, atq; adeò vniuerſam Volhiniam Religionis poteſtate tenes: eodẽ interim tẽpore, Georgius Radiuilus, T. S. Sixti Cardinalis, Eccleſiam Cracouienſem ſummo cum imperio, maximaq́; cura & ſolicitudine gubernabat: qui dùm pro munere & honore

ſuæ ampliſsimæ dignitatis,& vt anni Iubilæi vberrimos ſacrarũ Expiationũ fructus cõſequeretur, Romam iniquo anni tẽpore proficiſcitur, eoq́; affecta perueniſſet valetudine, dura vi morbi depaſcẽte artus,intimisq́; medullis vitalẽ calorẽ hauriente, ibidem è viuis excedit, & quaſi fatali falce, tergemina illa, Cardinalis, Epiſcopi, atq; Principis imperii dignitas atq; corona præciditur. Erant tum multi, (vt eſt Polonia fœcunda bonorum & magnorum virorum) ſapientia prouidentes, authoritate graues, & pietate præſtantes,maximoq; rerum vſu pollentes viri; qui hanc dignitatem tacitis animis, ardentiſsimisq́; votis optabant, & ſitienter cupiebãt; ſed rogare, ambire, prenſare, nec eorum ferebat modeſtia, neq; Regis permittebat authoritas: tu tamẽ optimi & prudentiſsimi Regis, qui non magis exercendæ, quám remunerandæ virtutis ſtudio tenetur, maturo & grauiſsimo iudicio, tot grauiſsimis viris antelatus es, ac Clementis octaui Summi Pontificis authoritate, ab Eccleſia Luceorienſi ad Cracouienſem tranſlatus es. Magnum excellentis virtutis argumentum eſt, & probatæ conſcientiæ fructus, cùm faſces pro faſcibus committuntur, & qui magna conſecutus eſt, maiora tamen mereri iudicatur, idq́; à maximis. At, qui dolor, qui gemitus fuit Luceorienſiũ, cùm ab iis diſcederes? nemo fuit,

qui à

qui à lachrymis temperaret, qui ſingultus contineret, eiulatu lamentis atq; ploratu cõplebant omnia: Clerus patrem, nobilitas patronum, plebs altorem amiſiſſe ſibi viſa eſt. Tibi verò viciſsim etiam inuito per ora genaſq; lachrymæ erumpebãt; nec animi dolorem celare, miſtaq; ſingultibus ſuſpiria diſſimulare poteras;& ſi integrum fuiſſet, apud eos fortè reſtitiſſes: toto itinere de iis loquebare, eorum memoria non modò animo, ſed & oculis obuerſabatur; nec ingens deſiderium priùs aliquo modo leniri potuit, donec Cracouiẽſiũ effuſa in te certatim ſtudia cerneres. Summa enim animorum alacritate, ſplẽdiſsimoq; comitatu & apparatu vrbem inuectus es. Omnia tubis, tibiis, lituis, buccinis perſtrepebant: Cytharis fidibus, ſambucis, campanis perſonabãt: fragore & mugitu bambardarum & tormentorum contremiſcebant omnia. Atria ædium, ſuauiſsimis odoribus fragrabant: limina arborum comis, foliiſq; virẽtibus frõdeſcebant: feneſtræ pergulæ, mœniana, tapetibus Attalicis, & periſtromatibus beluatis collucebant: tecta hominum multitudine referta, mole ſua laborabant: omnes plateæ, vici, vrbiſq; regiones oppletæ, cõcurſabatur vndiq; alacris hinc inde populus, par vbiq; gaudium. Flos procerum, ſplendor equeſtris ordinis, longè extra vrbem tibi obuiam prodiit: ſacerdotum examina,

ſacro,plenoq́; pietatis ornatu venerabilia, longo ordine te præcedebant: Doctores atq; Magiſtri, omnes togis atq; Epomidibus, tanquam veteres Quirites, ornati, cum innumerabili iuuentute ſua te honorifica pompa in vrbem deduxerunt; deniq; omnis generis, ætatis, conditionis ac fortunæ homines te fauſtis acclamationibus proſequebantur. Te paruuli noſcere, te iuuenes oſtentare, te ſenes admirari, & libera inter ſe voce loqui: Hicciné Bernardus Macieiouius, quæ oris dignitas, quæ corporis forma Priami imperio digna, quàm decora proceritas, quàm indeflexa ætatis maturitas, vt ex oculis, vultu diuinus quidam vigor emicat, vt in geſtu motu, decor atq; gratia, Summa ergò hominum lætitia, in ſolio D. Staniſlai glorioſi Martyris collocatus, num in actu, vt antiquo verbo vtar, ſtriaſti: num dignitate ad ocium, animiq́; remiſsionem, num opibus ad perfruendas voluptates abuſus es? Nequaquam, ſed totus in laboribus, teipſo maior effectus, ac te, cum certans, illuſtriora prudentiæ, pietatis, curæq; paſtoralis documenta, atq; exempla edidiſti, & ea quæ ab ampliſsimo Radiuilo Cardinale egregiè cæpta fuerant, ſupremam illis manum impoſuiſti. Nã primo quoq; tempore, Eccleſiaſticos omnes ordines, ex ampliſsima tua Diœceſi, Cracouiã euocaſti; ac cum iis de rebus ad Religionem, & populi Chri-
ſtiani

ſtiani vtilitatē pertinētib9,vtiliter cōſultaſti. Deĩde magno ſumtu tuo ſeminarium, ad eos qui ſacris ordinibus initiandi ſunt, præparãdos, ac ſacrorum rituum, aliisq; piis doctrinis præcolendos excitaſti. Prytaneum quoq; ſacerdotibus, qui aut ætate laboribusq; confecti, aut vi morbi preſsi iacent, deſignaſti; vt & ipſi in ocio cum dignitate & rerum neceſſariarum copia reliquum vitæ tranſigant; & alios ſpes futuræ quietis, vitæq; honeſtæ, ſubeundis laboribus faciat promptiores. Moxq; Diœceſin circumiuiſti, luſtraſti, in vitam & mores cleri inquiſiuiſti, libertatē Eccleſiaſticam defendiſti, ac beneficiorũ iura,reditus, muniaq; diligenter perſpexiſti. Et cùm de omnium Eccleſiarum commodis & ornamētis cogitares; tum præcipuè principem tuam baſilicam,in qua tot Diuorũ precioſi theſauri,totq; ſuperba Regum Mauſolæa, vt ſacrorum ritus maiori honore peragerentur, ingenti vi pecuniæ donaſti, cenſibus ac redditibus annuis auxiſti, grandibus cãdelabris ex argēto conflatis, ingẽti calice ex ſolido auro elaborato,ſtatua Diui Tutelaris Vēceſlai ex argento fuſa, eiusq; ſacroſanctis relliquiis, ex vicina Boemia & Sileſia magno ſtudio cōquiſitis, tecto inſuper æreo,aliisq; illuſtribus & ad ſplendorē domus Domini memorabilibus rebus illuſtraſti atq; exornaſti. Quod verò genus officii,erga Religioſas fami

lias,

lias,Deo dicatas virgines prætermisisti? quod genus beneuolẽtiæ ministris Ecclesiæ nõ exhibuisti? Cui egeno opem non tulisti? quẽ afflictũ nõ solatus es? cui pupillo,aduenæ,militi tua arca,tua domus clausa fuit? omniũ dolori & calamitati illachrymabas: ab omnibus periculũ,ignominiã propulsabas: vbiq; locorum odia, disidia, simultates restinguebas, ac morte tua libẽter aliis vitam repræsentasses. Quod cùm religiosissimo tempore, Iubilæi innumerabili hominũ multitudine frequẽtati, tum sæuissima illa pestilentia, quæ vniuersam Cracouiam vasta strage depopulabatur, egregiis argumentis enituit. Nam sacerdotes, peregrinos, vndiq; ex vltimis etiam Lithuaniæ & Podoliæ finibus ad piacularem celebritatem concurrentes, totos tres menses largè & liberaliter, aluisti, sustentasti, & cùm ex loco pestilenti præsentemq; omnibus mortem intentante, ægrè ac vix precibus victus discessisses, quos præsens charitatis officiis solari non poteras, absens incredibili liberalitate, atq; beneficentia subleuabas, multosq; non modò a dira lue, sed & ab intolerabili fame seruasti. Quid loquar de tuo erga artes eruditas, earumq; Doctores & alumnos, singulari amore, atq; beneuolentia? Testes sunt viri scientissimi,& nulla in re rudes,quibus latus tuum circumsepsisti,cum quibus curas & negocia tua partiris. Testes tot ingenui

genui adoleſcentes, quos liberali impenſa, tum hîc apud nos, tum apud exteros, optimis diſciplinis imbuendos curas: teſtes alii, quos præmiis allicis, honoribus inuitas, fortunis locupletas. Tua authoritate & opera effectum eſt, vt Sereniſsimus Princeps Vladiſlaus, germen Iagellonium, germen Auſtriacum, imago paterni animi, quiq́; maturitate iudicii atq; virtutis ætatis curſum longè ſuperat, inq́; amplisſimarum opum, ac tot Regnorum ſpem atq; ſucceſsionem feliciter creſcit, Lycei noſtri, ab abauo & cognomine ſuo inſtituti, anguſtias ſubierit, humiles exedras inuiſerit, ac literatas laureas, quas ſeptẽ Philoſophis tua vice diſtribuebam, conſpectu ſuo auguſtiſsimo quaſi ſplendidiſsimo quodam ſole colorârit & illuſtrârit. Eaq́; ſolennitate peracta, cum Sereniſsimo Principe, non modò proceres Regni, floremq́; comitatus Regii, ſed & primores Academiæ, ſplendido & dignitatis pleniſsimo cõuiuio accepiſti. Tu nuper (ordinem temporum variabo) re diuina ad vrnam & aram Beati Cantii peracta, quò maior eſſes, eò minor eſſe cupiẽs, inopinatò in Collegium noſtrum diuertiſti, neq; menſæ noſtræ tenuitatem faſtidiens, frugale ac quotidianum nobiſcum, tanquam vnus ex nobis, prandium ſumere voluiſti, ac deinceps in Bibliotheca noſtra euoluenda magnã eius diei partem, iucundè transegiſti, in qua & tuum

D ex ære

ex ære chorinthio Ariſtotelem, characteres Iaponicos, cum eiusdem vltimæ gentis Philoſophia, & alia tuæ in nos liberalitatis monumenta, modeſtè ac verecundè recognouiſti. Incredibilem eo die animi moderationē oſtendiſti, faſcesq; & infulas literulis noſtris ſubmiſiſti; cuius inſignis facti gloriam nulla obruet vetuſtas, nulla memori æuo eximet obliuio. Atq; hæ aliæq; maximæ virtutes, cùm tibi apud omnes ingentem gloriam peperiſſent, magnamq; tui admirationem commouiſſent, tùm ſupremi religionis noſtræ Moderatoris propēſum animum ad tuam dignitatem amplificandam mirificè incitârant, atq; inflammârant. Iamq; olim te in arce honoris collocaſſet, niſi ſumma cunctatione in eiusmodi rebus, perpetuò vti, animum induxiſſet ſuum, cùm & Nepotes ſuos omnibus animi & naturæ opibus florentiſsimos, accepto pontificatu, toto ferè biennio pēdere animis, dubiaq; ſpe trahi paſſus ſit, neq; priùs eos in purpuratorum Patrum numerum retulit, donec in ampliſsimo orbis theatro, in tanta rerum negociorūq; varietate & multitudine, ingenium, prudentiam, aliarumq; virtutum exempla oſtenderent, atq; proferrent; ne tam cognationi quàm meritis ſummum honorem detuliſſe videretur. Cuius ſanctiſsimi Pontificis acre in æſtimandis cuiusq; meritis iudicium, feruens in remunerādis virtutibus ſtudium,

dium, ſollicitos in Catholica Religione propaganda, hæreticisq́; profligandis labores & conatus, auxiliarias deniq; copias,pecunias, aliaq́; belli adiumẽta,ad Turcarum violentiam refrænandam atq; excindendam, nulla ætas tacebit, nullæ non loquentur literæ. Hic ergò talis & tantus Pontifex,te nuper in arce montis Vaticani, ad glorioſum Clauigeri Petri tumulum,tuis meritis penſiculatè longoq́; examine ponderatis, in Senatum Apoſtolicum, Princeps orbis terrarum, conſilium adlegit, teq́; Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ampliſsimum renunciauit.

Plurimùm debet Sarmatia Clementi octauo,multa ab eo ornamẽta,dignitatis, & præſidia ſtabilitatis accepit, quam gratiam nullis officiis, nullis memoris animi monumentis referre atq; perſoluere poterit. Ille dum Cardinalis eſſet, ab vrbe in has Septẽtrionis oras arbiter & ſequeſter pacis miſsus,trãquillitatem Poloniæ reddidit, ac vicinarum Regum arma atq; animos pacauit: ille Romanus Pontifex diuino conſilio creatus, S. Hiacynthum, ſocium atq; diſcipulum S. Dominici, Diuorum cæleſtium ordinibus adſcripſit: S. Staniſlai glorioſi Martyris memoriam toto orbe, quà Sol oriens quà occidens,coli & celebrari iuſsit, ac B. Caſimiri Regii ſanguinis, ſanctimoniam diuulgauit atq; publicauit: ille auſpicatiſsimas Sigiſmundi Regis, cum Sereniſsima

ma Anna Auſtriaca nuptias, per ampliſsimum legatum Georgium Cardinalem Radiuilum cohoneſtauit atq; confirmauit, eundemq́; Illuſtriſsimum Cardinalem pòſt grauiter ægrotantem mortiq́; vicinum benignè inuiſit, ac tum pietatis & beneuolẽtiæ pleniſsimis verbis, tum ampliſsimis veniæ atq; relaxationis theſauris ex infinito & immenſo Eccleſiæ ærario depromtis, recreauit atq; ſolatus eſt: ille multos noſtræ gentis homines ad honores extulit, opibus auxit, intraq́; domeſtica limina, aut à cubiculo, aut à poculis, aut ab aliis officiis atq; miniſteriis, amantiſsimè fouet atq; complectitur: illi Academiæ noſtræ ſtudia ſunt cordi & curæ, eaq́; per ampliſsimum Nuncium ſuum, Claudium Rangonum, Epiſcopum Regii, virum propter eximias ſuas virtutes, omni honorum faſtigio maiorem, Sereniſsimo Regi noſtro, prolixis & optimis verbis commendauit: ille deniq;, quod caput rei eſt, te hoc oſtro atq; coccino velauit, atq; exornauit. At quæ & quanta dignitas? quæ proxima Summæ poteſtati, Regum maieſtati par, non niſi aut Principum atq; Dynaſtarum aureæ ſoboli, aut diuinis & admirandis ingeniis, aut heroicis atq; præſtãtiſsimis virtutibus atq; meritis deferri ſolet. Vos Cardinales eſtis Principes mundi, Senatores terræ, Iudices orbis, ſigniferi populi, adminiſtri & adiutores Summi Pontificis:

Vos fidei præcipui defenſores, Hæreſum fortiſsimi extinctores, fideliſsimi Sedis Apoſtolicæ vindices. In veſtra tutela latẽt res humanæ, in veſtro præſidio acquieſcunt, veſtro conſilio reguntur, virtute muniuntur, authoritate conſeruantur. Vos tranquillitatem publicam cõſtituitis, pacem inter Reges ſtabilitis, fluctus atq; tempeſtates Rerumpublicarum componitis. Vos eſtis ſeminariũ Pontificum, vosq́; ius & poteſtatem habetis, è veſtro Ordine atq; Collegio, eum eligendi, cuius munus poteſtate Deo proximũ eſt, dignitate inter homines ſummum, adminiſtratione, nullis regionum ſpatijs definitum, duramẽto atq; ſtabilitate nullis ſeculis interiturum, nullisq́; hoſtium machinis infringendum & expugnandum. Quare gaude Illuſtriſsime Princeps, excellenti bono tuo, fruere hac ſublimi felicitate: & quoties hic purpuræ fulgor oculos tuos perſtrĩxerit; toties ad maiora atq; illuſtriora ſuſcipienda, arduam atq; excelſam vim mentis excita & intende. Nunc maiori cõſtantia, atq; animi robore, Religio propaganda, libertas Eccleſiæ tuẽda, & Hæreſum monſtra profliganda: nunc acriori ſtudio atq; induſtria coercenda audacia, comprimenda iniquitas, frangendæ libidines, cupiditatesq́; refrænandæ: & qui antea de vnius Poloniæ ſalute atq; dignitate ſollicitus eras, ſolùmq́; ciues tuos pietatis artibus imbuebas,

nunc de vniuerſo genere mortalium bene merendi ſtudium ſuſcipiendum eſt, omniumq́; vbicūnq; locorum, incolumitati, trāquillitati religioni atq; probitati proſpiciendum atq; conſulendum eſt. Et cùm omnes plagas mundi mentis acie circumſpexeris, resq́; humanas prouidentia atq; ſedulitate adminiſtraueris, huc quoq; ad nos oculos tuos humanitatis pleniſsimos dirige atq; conuerte, hancq́; bonorum ingeniorum parentem, optimarum virtutū nutricem, omnisq́; doctrinæ liberalis Magiſtram amore complectere, liberalitate orna, patrocinio tuere, eamq; in ſenatu, comitiis, ſynodis, Regi, proceribus, omnibusq́; ordinibus etiam atq; etiam diligentiſsimè commēdato. Quò pluribus proſumus, & commodamus; eò maiori omnium beneuolentia digni ſumus: quò minoribus ſtipendiis tot annos in caſtris Muſarum militauimus; eò vberiora nos manent præmia: quò minus ocii & induſtriæ ad aucupandos hominum animos habemus; eò alacriùs vos magni Patroni vltrò etiam neq; exorati nos ornandos ac tuendos ſuſcipere debetis. Nos verò inſignem, & admirabilem hanc tuam in nos beneuolētiam atq; liberalitatem, ad omnem poſteritatis memoriam, ingeniis & literis noſtris propagabimus, atq; humi ſtrati, altaribusq́; aduoluti, omnes Diuos cæleſtes, publicis priuatisq́; precationibus orabimus,

bimus; vt Deus immortalis, qui tuæ dignitatis inceptor & perfector eſt, conſilia tua dirigat, actiones fortunet, valetudinem confirmet, ac crudam viridemq́; ſenectam impertiat, teq́; ſoſpitem ac vigentem, lætum atq; felicem, cum ſempiterna laude, immortaliq́; nominis tui gloria, Eccleſiæ Dei, Reipublicę Chriſtianę, literis, omnibusq́; bonis, ſed & Schoneo, quã diutiſsimè ſeruet, foueat atq; tueatur.

Pagina 7. *ver*: 15. *poſt verbum* ſciendi, *addatur* cauſa.